


Marsilius ficinus de Religione
Rerhardi parisi de sancta doctrina
palephati Greci fabule
Eneas Silvius de vita [illegible]
historia Grisei Cassipe [illegible]
Epistola Clementis pape V ad Caroli regem
valerianus [illegible] de Carolo V
Epistola philippi Calimachi
alia Epistola eiusdem

1365 Martii 12. Universitati Vienn[ae] [illegible]



Theat
5457



DISTICHA CAESARVM RO/ MANORVM A IVLIO DICTA/ TORE VSQVE AD NO/ STRAM MEMORIAM, GASPARE VRSINO VELIO, REGIO HISTORICO AVTHO/ RE.

ILLVSTRI AC MAGNIFICO VIRO DO-
mino ANTONIO de Mendoſſa apud Inclytũ ac
potentiſs. Vngariæ & Bohemiæ Regẽ FER-
DINANDVM, Cæſareo Oratori &c.
Gaſpar Vrſinus Velius.

MONOSTICHA Cæſarum aliena, ac mea Pontificum cũ edere ſtatuiſſem, Illuſtris ac Magnifice Antoni, clariſsimæ familiæ de Mendoſſa columen & ornamentũ ſingulare, duabus de cauſis, tametſi tibi deſtinata erant alteri dedicaui: Primũ, quod de ære meo ſine uerſura tibi aliqua ex parte ſatisfeciſſe malebam uideri. Dein, quod Pontifices maxime conueniebat optimo ac lectiſsimo Pontifici dedicare. Quapropter mutato conſilio, Ampliſs. uiro, ac Principi BERNARDO a Gles Epiſcopo Tridẽtino (quam rem ſat ſcio non improbabis) librum illum inſcripſi: cuius uiri & tu, cum hic ageres Cæſareum Oratorem, mirari ſolebas morum uitæq; ſanctitatem, ac animi celſitudinem, cæteraſq; illius uirtutes eximias & peculiares. Iam uero ut de meo, quemadmodum recepi tibi, nonnulla ratione ſatisfaciam: Vir Excellentiſsime, diſticha Cæſarum mea, iampridem Inclyto ac clementiſs. Regi FERDINANDO complacita, iuſſuq; eius,

a ij

& hortatu eruditorum hominum, præcipue IOAN-
NIS Fabri grauissimi doctiss. q; uiri, typis excusa, ad
te isti tuo splendidissimo nomini dedicata trãsmitto:
existimans hoc modo partem aliquam crediti persol-
ui posse, neq; enim integræ summæ soluẽdæ unq̃ ero.
Quod si tibi, tuiq; similibus hæc, qualiacunq; proba-
ta fuerint, tum oro, ut nactus ocium, dextro tempore
diuo CAROLO Cæsari inspiciẽda non grauate ex-
hibeas : ac pro tuo candore, munusculum, quale qua-
le est, uerbis decenter ornare uelis, & sacrosancto
illius numini studiose commendare: quod
equidem ingentis in parte beneficij
ponam, atq; hac ratione ma-
gnum operæpretium me
fecisse existima-
bo. Bene ua-
le, Viennæ
XX. Octo-
bris.
Anno M. D. XXVIII.

DIVO ET INVICTO CAESARI Imp. CAROLO V. perpetuo Augusto. Caspar Vrsinus Velius.

MAXime terrarum Princeps, cui summa potestas
Humanum placida pace tenere genus.
Quo cum regna Deus partitus, ut imperat astris
Ille, regenda tibi sic sola cuncta dedit.
Iamq; tibi ignotus terrarum panditur orbis
Extra anni uetitas Oceaniq; uias.
Romanus positis præses cui iungitur armis,
Agnoscitq; Ducem nunc tua Roma suum.
Victa iacet capti furiosa potentia Galli
Et piget Adriacos arma ciere patres.
His tua non ultra tardantibus inclyta cœpta.
Sacrilegus pœnas quas tibi Turca dabit?
Macte pio in superos animo, qui solis ad ortum
Solis ab occasu nunc tua regna uides.
Et dubitamus adhuc cui sceptra reliquerit orbis?
Quemq; uelit terris imperitare Deus?

ALIVD DE LIBRO.

Cæsareos paruo proceres Auguste libello
  Romanæ dominos urbis & orbis habes,
Omnes a primo generosæ stirpis Iulo
  Ordine, ad usq; tui nobile tempus aui.
Hic & uirtutem, aut uitium cuiusq; notatum
  Et qua quisq; obijt conditione leges.
Ac ne longa creet fastidia lectio, totum
  Singula perficiunt disticha semper opus.

DISTICHA CAESARVM.

C. Iulius Cæsar Dictator.

Quod prius Imperium asseruit, mox occupat idem
Iulius, hinc Bruto percutiente cadit.

Octauianus Cæs. Augustus

Augustus Ianum clausit post bella quietus,
Inde alui perijt lubricitate senex.

Claud. Tiber. Nero.

Principio frugi Nero Claudius, inde fit atrox
Sæuitia, at praui fraude nepotis obit.

C. Cæsar Caligula

Degenerem, ac scelere inuisum mortalibus omni
Chærea Caligulam Cassius ense necat.

Claudius Cæsar.

Dirus, & ignauus regnauit Claudius, illum
Abdita boleto toxica sæua necant.

Domitius Nero.

Qui matrem ferro, Romam qui perdidit igni
Impius ipse suo se ferit ense Nero.

Sergius Galba.

Sæuus, auarus erat semestri tempore Galba,
Sons Otho quem Curtij sustulit ante lacum.

M. Syluius Otho.

Quattuor impleuit menses Otho, cum male fortis
Transadigit ferro pectora sponte sua.

A. Vitellius.

Ingluuie infamis, tractusq; Vitellius unco
Ludibrium populi cæsus & iste fuit.

Fla. Vespasianus.

Excisis Solymis ægit cum laude triumphum:
Stans pedibus Cæsar Vespasianus obit.

D. Titus Vespa.

Inuidere Titum tantis uirtutibus orbi
Fata æui iuuenem, quem rapuere breuis.

Domitianus,

Degener, ac nulla uirtute insignis, amici
Te merito occidunt Domitiane tui.

Coccéius

Cocceius Nerua.

Nerua mares uetuit caſtrarier, utilis urbi:
Qui ſenior morbo debilitatus obit.

Vlpius Traianus

Comis hic in ciues Traianus, at hoſtibus aſper,
Optimus internis qui perit æger aquis.

Aelius Adrianus

Pacis amans, uarius, peragratoq; Aelius orbe,
Pene ſibi ægrotans intulit ipſe manum.

Antoninus Pius

Nomine non uno Pius Antonine uocaris
Parq; Numæ, nullo crimine notus obis.

M. Antoninus Philoſophus

Stoicus Imperij fratrem facit Antoninus
Participem, dira peſte necatus obit.

L. Verus Anto.

Imperij conſors, ſed fratri moribus impar
Verus erat, qui ictu ſanguinis occubuit.

Commodus Antoninus.

Commodus incestu gladiator, & obrutus omni
Flagitio, huic laqueo strinxit Athleta gulam.

P. Aelius pertinax.

Optimus hic fuerat, si non a milite cæsus
Aelius ob sordes esset auariciæ.

Didius Iulianus Mediolanensis.

Didius inuisus castris, inuisior urbi
Septimio fasces arripiente cadit.

Septimius Seuerus.

Sæuus erat, felix belliq; domiq; Seuerus,
Qui senior podagris excruciatus obit.

Antoninus Caracalla.

Germanum Caracalla necat, coniunxq; nouercæ
Macrini insidijs cæsus & ipse perit.

Opilius Macrinus cũ filio Diadumeno.

Arripit Imperium cum nato deindè Macrinus
Ictus & a Varij milite uterq; cadit.

Varius Heliogabalus.

Infamis luxu, Variusq; libidine tetra
De forica extractus mergitur in Tyberi.

Alexander Seuerus.

Regnat Alexander iustus cum matre Seuerus
Hunc miles iuuenem barbarus ense ferit.

Maximini duo pater & fil.

Thrax furit hinc nato cum principe Maximinus,
Sed famis impatiens miles utrumq; necat.

Gordiani duo pater & f.

Clara fuit gemino gens Gordia principe, natus
Occidit hostili uulnere, fune pater.

Pupienus qui & Maximus cum Balbino.

Maxime Balbino collega, iubente senatu
Imperitas: ferro miles utrumq; necat.

Gordianus iunior.

Deuicit Persas, sed non superare Philippos
Hic potuit, quorum fraude peremptus obit.

Philippi duo

Vrbis agunt ludos post sæcula mille Philippi
Veronæ genitor, natus in urbe cadit.

Detij duo
Pro patria Decij dum prælia fortia miscent
Filius occubuit marte, palude pater.

Gallus hostilianus cũ filio Volusiano.
Gallus habet nato cum principe sceptra biennis
Desertum occidit miles utrumq; suus.

Aemilianus.
Maurus & Imperij rapit Aemilianus honores
Hic ad spoleti mœnia cæsus obit.

Licinius Valerianus.
Colla Sapor Licini rex Persa senilia pressit
Perpetuo hunc seruum barbare uictor habes.

Galienus
Perditus & luxu, & uita Galienus inerti
Fraude apud Insubres occidit Aureoli.

Claudius

Claudius insigni memorandus clade Gothorum
Quem rapit ante annos inuida parca duos.

Quintilius
Sponte sua uenis, a milite lectus, apertis
Quintilius modico tempore Cæsar obit.

Aurelianus.
Aureliane Gothos cædis, superasq; Tyrannos,
Sæuus eras, serui hinc cæsus es arte mali.

Tacitus
Accipit Imperium Tacitus præbente senatu
At cito castrensi seditione cadit,

Florianus
Delatum fratri Imperium ui hic arripit, & mox
Elicito e uenis sanguine sponte perit.

Probus
Totum Romanis subiecit legibus orbem
Qui cadit irati militis ense Probus.

Carus.

Sarmaticum Illyricis eiecit finibus hostem
Carus, apud Persas fulmine tactus obit.

Numerianus.

Dum patris interitum, properataq; funera defles
Ense cadis soceri Numeriane tui.

Carinus.

Degener, & luxu Carinus adobrutus omni,
Mox successoris tollitur ingenio.

Diocletianus.

Cum socio regnans, quem progenuere Salonæ
Sponte sua Imperium ponit, obitq; senex.

Maximianus.

Dum struis insidias genero socer, illico captus
Dederis a genero Maximiane neci.

Constantius Chlorus.

Constanti placida populos in pace gubernans
Egregia in Gallis, prole beatus obis.

Galerius Maximinus.
Adscitis regni socijs truculente Galeri
Vim tibi post uitæ tædia longa facis.

Seuerus.
Italiæ tenuit placide dum sceptra Seuerus
Maxenti immeritum factio præcipitat.

Maxentius.
Tybridis obruitur Maxentius impius amni,
Quemq; alij struxit corruit ipse dolo.

Maximianus iunior
Expertus ueri uim numinis impie, tetris
Vermibus exesus Maximiane peris.

Licinius
Dacus, & asper eras Licini, soceroq; rebellis
Occidis hinc merito coniugis arte tuæ.

DISTICHA CAESARVM A DECLINATIONE IMPERIJ.

Constantinus magnus
Huic magni imposuit pietas, & dextera nomen
Occidit in Persas aspera bella mouens.

Dalmatius

Dalmatium Imperij quarta bene parte locatum
Constanti immerito factio dira necat.

Constantinus iunior
Iunior hic sumptis plusq̃ ciuilibus armis
Iure quidem a fratris milite cæsus obit.

Constans
Fratre dein cæso Constanti Gallia cessit
Atq; hic Magnenti concidit insidijs.

Magnentius
Imperium infidus Magnentius occupat, ultrix
Huic furia in propriam suggerit arma necem.

Constantius
Oppressit geminos Constantius iste tyrannos
Dum redit a Parthis febre peremptus obit.

Iulianus
Strenuus hic, frugiq; fuit, uerum impius idem
Pugnantem egregie Parthica tela necant.

Iuuinia/

Iuuinianus.

Imperij fines Persis mutarē coactus,
Calcis odore nouæ Iuuiniane peris.

Valentinianus.
Adsciuit fratrem, natumq; Valentinianus
Augustos: ictu sanguinis occubuit.

Valens.
Saucius, ac Gothico superatus marte crematur
Immisso tuguri cratibus igne Valens.

Gratianus.
Fudit Alemannos tribuit cui gratia nomen
Perfidia cecidit Maxime deinde tua.

Valentinianus iunior.
Regnantem occiduo fratrem malefidus in orbe
Strangulat, obstricto gutture fune comes.

Theodosius magnus.
Deletis toto Theodosius orbe tyrannis
Optimus, ac gemina prole beatus obit.

Arcadius.

Archadius cæſo Ruffino regnat Eois
Auguſtum & natum fecit, & occubuit.

Honorius.

Ipſe tricēnales quos uouit Honorius egit,
Ciuica ſedauit bella, ſed orbus obit.

Theodoſius iunior.

Iunior egregie retinens orientis habenas
Infertur tumulo mortuus inde patris.

Valentinia. III.

Non Atilæ uictorem impune Valentinianus
Suſtulit Octylæ militis ēnſe perit.

Martianus.

Imperij reparat pacis ſtudioſus honores,
Attamen inſidijs Aſparis iſte cadit.

Leo.

Surrogat hic feſta gaudens Leo pace nepotē̄m
Primus & e Græco ſanguine Cæſar obit.

Zeno.

Augustus Zeno nati pietate uocatus
Exulat, occisoq; hoste reductus obit.

DISTICHA Imp. Rom. ad Græcos tralato Imperio qui Gothorum & Longobardorũ tempore imperarunt.

Fla. Val. Anastasius Dicoros.
Impia Anastasius decernit dogmata, quare.
Perdidit hunc ultrix fulmine dextra Iouis.

Iustinus Thrax.
Accipit Imperium Thrax Armentarius ante
Iustinus, frugi Cæsar obitq; pius.

Iustin ianus.
Hesperijs Gotthos, Persas exegit Eois
Ius scripsit, senior Iustinianus obit.

Iustinus minor.
Adserit hic Pelagi sectam Iustinus, auarus
Vt pedibus, captus mente quoq; occubuit.

Tyberius.

Debellas Tyberi Perſas, miſeraris egēnos:
Auguſtum & generum dicis, obiſq; diem.

Mauritius Cappadox.

Victus auaritia, totum qui uicerat orbem
Mauritius, Phocæ militis enſe cadit.

Phocas.

Perdidit Imperium Phocas prope: ſegnis adulter,
Quem necat ob ſordes Priſcus auariciæ.

Heraclius.

At ſpolia a Perſis Heraclius ampla reportat,
Abditus hunc uenis enecat humor aquæ.

Conſtantinus Heraclij.

Dum parat Imperium nato Martina, rēpentē
Toxica priuigno dira nouerca dedit.

Martina cum filio.

Annis cum nato regnat Martina duobus
Hæc lingua, abſciſſis naribus ille perit.

Constans.

Ornamēnta urbis rapit impius omnia Constans
Trinacriæ in thermis quem necuere sui.

Constantinus Pogon.
Perfida Pœnorum fugat agmina Constantinus
Fratribus & nares amputat, ac moritur.

Iustinianus.
Iustiniane Leo te pellit, ope inde reductus
Barbarica, & miscens prælia dura cadis.

Leontius siue Leo.
Occupat Imperium pulso Leo Iustiniano,
Quem tenuit truncis naribus Absymarus.

Absymarus qui & Tyberius.
Absymarumq; redux probris, captumq; Leonem
Affectos meritis, Iustiniane necas.

Philippicus.
Pellit Anastasius te dire Philippice regno,
Lumine quem merito priuat utroq; pius.

Artemius qui & Anastasius.

Ponit Anastasius ui sceptra prementē suorum
Priuatusq; sacris deditus occubuit.

Theodosius Atramytenus.

Diuorum effigies Theodosius iste reponit,
Qui mox e placido Cæsare fit monachus.

Leon Isaurus siue Conon.

Occupat hinc solium prauus Leo, & impius urit
Effigies, diris exagitatus obit.

Constantinus Copronymus.

Sæuit, & impietate patrem Copronymus æquat,
Quem funesto elephas ulcere tollit atrox:

Leo.

Hic sua detracto superis diademate cingit.
Tempora, sacrilegus mox perit inde Leo.

Constantius Leonis filius.

Pellit in exilium genitricem, unde illa reuersa
Orbatum in uinclis lumine utroq; necat.

Irene.

Nicephorus sceptro Irenen spoliauit, at illa
Dignior Imperii fascibus exul obit.

DISTICHA GRAECORVM IMP. a diuisione Imperii.

Nicephorus.

Nicephorum quo non fuerat crudelior alter.
Perdidit hostilis nocte silente manus.

Stauratius.

Decidit Imperio Stauratius: omne coactus
Vitæ æuum rigidis degere cum monachis.

Michael Curoplates Rangabe.

Sponte sua bonus hic monachorũ in septa Michael
Territus aduerso marte, receptus obit,

Leo Armeniacus.

Huic laudi regem fuit obtruncasse Cruminum
Sæuus erat, Trauli cæditur arte Leo.

Michaël Traulus Phryx.

Misit hic in Pœnos classem, Thomamq; Michaël
Vicit, auarus erat, torminibus perijt.

Theophilus.

Nomine, sed non re simulachra Theophilus urit
Quod male pugnarat, sensibus æger obit.

Theodora.

Hæc quoq; diuorum effigies Theodora perosa
Pellitur a nato, claustraq; sacra petit.

Michael Theophili.

Pontifici misit Romano dona Michael
Quem socius regni sustulit ante diem.

Basilius Macedo.

Obscurus Macedo, sed non indignus habenis
Imperij, cerui cornibus ictus obit.

Leo Basilij Philosophus.

Doctus erat Sapiens, Sarracenosq; subegit,
Inde alui perijt debilitate Leo.

Alexan

Alexander.

Segnis Alexander, uitaq; inglorius omni
Sanguine per nares profluitante perit.

Constantinus.

Hic belliq; domiq; bonus librum ædidit, unde &
Quadraginta annos imperitans moritur.

Romanus Lecapenus.

Perfidus Imperium Romanus hic arripit, inde
Exulat, & nati crimine pulsus obit.

Romanus Leonis iunior.

Deses, & infamis luxu matrem atq; sorores
Expulit, hinc merito dira uenena bibit.

Nicephorus Phocas.

Prælia Nicephorus felicia plurima fecit,
Inde dolo infidæ coniugis interijt.

Ioannes Zimisces.

Bulgariam Imperio adiecit, uicitq; rebelles
Zimisces, hunc & toxica sumpta necant.

Basilius.

Hostibus effodiens Basili sua lumina uictis,
Ante obitum fratrem præficis Impeiro.

Constantinus.
Dissimilis fratri nihil hic memorabile gessit.
Et moritur uita deficiente senex.

Romanus Argyropylus.
Principio fortis, dein uixit auarus, inersq;.
Quem sua demersit dum lauat, uxor aquis.

Michael Paphlago.
Paphlago cum Zoe tenuit bene sceptra Michael
Commodus, internæ quem iugulastis aquæ.

Michael Calaphates.
Pellit adoptiuus matrem, patruumq; Michael
Qua reduce, effosso lumine utroq; perit.

Zoe & Theodora.
Gracius Imperium uisum est muliebre uirorum
Hinc placet a gemina sceptra sorore geri.

Constantinus Monomachus.

Nil magnum aggrediens, uetitaq; libidine fœdus
Constantinus item desidiosus obit.

Theodora.

Fœmina quæ placide populos Theodora regebat
Imperitans annis sceptra duobus habet.

Michael senior.

Hic nondum expleto senior quoq; pellitur anno, &
Priuata ad uitæ iura redactus obit.

Isacius Comnenus.

Pace bonus belloq; fuit Comnenus, at ille
Ante obitum forti e Cæsare fit monachus.

Constantinus Ducas.

Tradidit uxori natisq; salubris habenas
Summum ut iam Ducas sensit adesse diem.

Eudotia.

Cogitur Imperij, ac rerum discrimine magno
Romano Eudotie nubere Diogeni.

Romanus Diogenes.

Turcus in hoste fuit captiuo mitior ac qui
Paruerant, unde hic lumine cassus obit.

Michael Constant. Ducæ F. Parapinaceus.
Dira fames segni populos sub principe uexat,
Hinc bene cum nato, ac coniuge clausus obit.

Nicephorus Botoniates.
Comneni fratres posito diademate cogunt.
Nicephorum monachi uiuere more bonum.

Alexius Comnenus.
Et docet, & pueros connutrit Alexius orbos,
Romaniq; acer nominis hostis obit.

Ioannes.
Vicit Ioannes Turcos, Persasq; sagitta
Venator digitum saucius interijt.

Manuel.
Perdidit hic nostros Manuel, gypsoq; farinam
Miscuit, & monachus tam sceleratus obit.

Alexius.

Tutor inhumanus, puerum submouit, Alexi,
Impius, & miseris te necat ille modis.

Andronicus Comnenus
Captus ab Isatio populi lacerare tumultu
Andronice orbus lumine, & ante manu.

Isacius Angelus.
Angelus hospitio Fridericum excepit euntem
Ad Syriam, huic frater sceptra, oculosq; adimit.

Alexius Fratricida.
Non impune fuit tantum tibi crimen Alexi
Quem Constantini pellit ab urbe nepos.

Alexius iunior Isacij filius.
Hunc ope Gallorum Imperio uix mense potitum
Murziphili puerum frausq; scelusq; necant.

DISTICHA CONSTANTINOPOLITANORUM Cæsarum, translato a Græcis ad Latinos Imp.

Balduinus Flandrensis,

Belgicus Imperio potitur Balduinus, at anno
Vix uno imperitans oppetit ante diem.

Henricus Balduini frater.

Militiæq; domiq; bonus regit Hellada frater
Ac natam moriens surrogat ante sibi.

Petrus Antisiodorensis.

Tradidit Imperium pietas uxoria Petro
Lascari perfidia, quem Theodore necas.

Robertus.

Aduolat audita genitoris cæde Robertus
Inq; uia, Roma dum redit, æger obit.

Balduinus.

Byzanti claram Peleologus occupat urbem
Dum sotius generi Brennius acer abest.

DISTICHA CAESARVM GRAECO-rum Constantinopolitana sede recu-perata expulsis Latinis.

Michael Paleologus.

Sustulit affines scelere, ac ui sceptra Michael
Arripit, extinctum plebs sepelire uetat.

Andronicus.

Andronice nepos odio te exercet, & armis
Cui mox, ut socio conciliatus obis.

Andronicus iunior.

Iunior Imperij regnat successor auiti
Commodus, hunc febris feruida præcipitat.

Ioannes Catacuzenus.

Europam Turcæ primum hoc sub principe uisunt:
Vi Catacuzenus regnat, obit monachus.

Ioannes Paleologus.

Illius Imperio natum Paleologus orbat,
Quod moriens nato tradidit ipse suo.

Manuel.

Natorum Manuel septem pater, haud alia re
Clarus obit, natu maximus imperitat.

Ioannes.

Eugenium Etruſca Ioannes urbe ſalutat.
Pacis amans, Thracen inde reuerſus, obit.

Conſtantinus.
Conſtantine ruit capta, pró dedecus, urbe
Imperij tecum deficientis honor.

DISTICHA IMP. GALLORVM à diuiſione Imperij.

Carolus magnus.
Magnanimus totum pacauit Carolus orbem,
Grandæuum hunc laterum tollit acuta lues.

Ludouicus pius.
Luduico nati ſunt reddere ſceptra coacti,
Vtq; pater magnus, ſic erat iſte pius.

Lotharius.
Imperium nato Lotharius arrogat ultro,
Ipſe inter monachos relligioſus obit.

Ludoui-

Ludouicus II.

Luduicus plusq̃ ciuilia cœperat arma:
Deinde apud Insubres, uixit. obitq; diem.

Carolus Caluus.

Hunc etiam bello Caluum petiere nepotes,
Qui medici infidi fraude uenena bibit.

Ludouicus Balbus.

Balbus item Imperij titulum Lodouicus adeptus,
Occidit ante annos Cæsar & iste duos.

Carolus Crassus.

Abrogat Imperium procerum concordia Crasso,
Qui bene priuatus uixit, & interijt.

Arnulphus.

Nortmannos uicit, sed non animalia tetra
A quibus, ut quondam Sylla, peresus obit.

Ludouicus Arnulphi f.

Arma Berengarij uictricia sensit, & inde
Filius effosso lumine utroq; perit.

Conradus.

Imperat in Gallis opera Conradus Othonis,
Cuius ob hoc natum surrogat Imperio.

Henricus.

Henricus Imperio potitur, uincitq; feroces
Pannonios, compos inde quietis obit.

DISTICHA C. R. translato Imperio
a Gallis & Italis ad Germanos.

Otho I.

Pannonios, Bœmosq; domat deletq; tyrannos
Primus Otho, natu grandis, obitq; pius.

Otho II.

Alter Otho in Calabris accepta clade, redemptus
A Siculis, Romamq; inde reductus obit.

Otho III.

Tertius infandos Crescenti uindicat ausus
Hic Romæ, ut perhibent toxica mista bibit.

Henricus I.

Hic felix bello, uita castusq; piusq;
In numero meruit Henricus esse deum.

Conradus I.

Pannonios domuit Conradus, terruit armis
Insubres, leges condidit, inde obijt.

Henricus II.

Pannonios subigit Bœmosq; sibi Henricus alter
Pontifices merito corrigit, æger obit,

Henricus III.

Pontifices audax incessere, cætera summus
Tertius, a nato carcere clausus obit.

Henricus IIII.

Hic quoq; pontifices ruit insectatus ad arma
Quartus, ob hoc orbus dictus obire diem.

Lottarius.

Insign is pietate simul Lottarius armis,
Veronæ moritur, dum repetit patriam.

Conradus II.

Fraude pius Græci Conradus Cæsaris alter
Iconij amisso milite tristis obit.

Fridericus Barborossa.

Vrget Alexandrum Fridericus, & omnia uastat.
Cæsar, in Armeniæ dum lauat amne perit.

Henricus filius.

Hic Rex Sycaniæ desæuijt Henricus asper.
Summum & Messana clausit in urbe diem.

Philippus.

Imperium pulso suscepit Othone Philippus,
Deinde Palatini principis ense cadit.

Otho IIII.

Pontificis sensit diras, & fulmina quartus,
Victus & a Gallo Rege fugatus obit.

Fridericus II.

Hic quoq; Pontifices uexans, at cætera summus
In Siculis uafri concidit arte nothi.

Rodulphus.

Vicit Othocarum regem, oppressitq; Rodulphus,
Qui socer in natum mitior occubuit.

Adulphus.
Victus ab Alberto, mox ambitione petiti
Morte luens regni crimen Adulphe ruis.

Albertus.
Intulit Albertus regi noua bella Philippo,
Impius ante ratem quem necat ense nepos.

Henricus.
Henricus Italiam uisit, spoliatq; Robertum,
Quem pane in sacro toxica sumpta necant.

Ludouicus.
Pontifice Imperij capit aduersante coronam
Luduicus, cui nec conciliatus obit.

Carolus IIII.
Quartus amans nimium patriæ, indignoq; coronam
Mercatus nato, cætera rectus obit.

Wenceslaus.

Degener Imperij merito spoliatur honore
Filius, attonitus turpiter occubuit.

Robertus.

Insubris afflictus Galeati marte Robertus.
Italia excedens pacis amator obit.

Sigismundus.

Pace Sigismundus, q̃ fortunatior armis
Plurima decessit post benefacta senex.

Albertus.

Austriadum decus & spem læti, pro dolor, orbis
Ante diem Albertum tormina sæua necant.

Fridericus III.

Pacis amans, cultorq; deum Fridericus, at annis
Longior Augusto Cæsare Cæsar obit.

Maximilianus.

Maximilianus obit dexter belliq; togæq;
Munia, quem perimunt tormina sæua pium.

Carolus & Ferdinandus.

Carolus Hesperiis regnat Fernandus Eois,
Quã bene diuisum est, fratribus Imperium.

DISTICHORVM CAESARVM
FINIS.

REGI OPTIMO MAXIMO FER-
DINANDO. I. Rosinus.

Ad tua deductum, Rex inclyte, tempora carmen
Cernis ab Historico non sine laude tuo.
Non tibi sollicito magnis de rebus, & amplis
Imperii curis cuncta uidere uacat,
Magna per ambages quæ scripta uolumina produnt
Et graiæ & latiæ fusius historiæ.
Ergo peragratis apis ut quum dædala flores
Delibat campis dulceq; fingit opus:
Sic bonus e magno uates decerpsit aceruo
Exempla hæc uitæ commodiora tuæ.
Inde leges casus uarios, uitas, obitusq;
Cæsareos geminis condita carminibus.

D. IOANNI FABRO THEOLOGO, AC
Regio Conſiliario, uiro humaniſsimo.
Caſpar Vrſinus Velius S. D.

NIHIL tibi denegare poſsum, optime Faber, cuius
cũ beneficia erga q̄plurimos, tum uirtutes excellẽtiſs.
ſum̃a omnia promerentur. Quare cum ſtatuerim tibi
nulla non in re moremgerere: Soterian pro Illuſtri ac
magnifico uiro D. GABRIELE Comite in Orten/
burg, quam anno ſuperiori, cum ille a morbo, quo gra
ui ac periculoſo afflictus erat, aſsurrexiſſet, celeriter
compoſui: de tua ſententia adiunctam huic Diſticho/
rum libello emittere non dubitaui. Sed & nihil nõ ef/
ficerem in ſpem gratiæ adipiſcendæ tanti uiri illius,
qui ob innumerabiles naturæ dotes, quibus eſt oppi/
do q̄ inſtructus uita q̄ longiſsima dignus cenſeri de/
bet. eius uiri merita, & eximias uirtutes, quoniam nec
una epiſtola commemorari, neq; exiguo poëmate ce/
lebrari poſsũt, iuſto olim libro copioſe & affatim per/
ſequar: cuius excellentiæ, præſtantiſs. Faber, interim
quicquid hoc eſt carminis, unaq; Authorem
etiam atq; etiam accurate commẽdabis.
Bene uale. Viennæ XX. Octob.
Anno M. D. XXVIII.

ILLVSTRI AC MAGNIFICO DOMINO
Gabrieli Comiti in Ortenburg &c,
Caſpar Vrſinus Velius.

Alcidæ ærumnas, caſus pacientis Vlyſſei:
  Fortiaq; Aeneæ ſcribere facta pij,
Res operoſa quidem, plus & quam ſimplicis æui
  Cura fuit magnis, & labor ingenijs.
At non ſudabit minus hic qui ſcribere ſumet.
  Seu tua tot belli, ſeu benefacta togæ.
Condere res geſtas Gabriel Regiſq;, tuaſq;
  Dicere uix auſim nunc opis eſſe meæ.
Adnitar tamen, ac tantum exudabo laborem:
  Intexam & chartis tot benefacta meis.
Nec patiar tantos obliuia carpere honores,
  Aut morti titulos ſuccubuiſſe tuos.
Tu modo ſcriptores quæ poſſunt ocia præſta
  Altera qui noſtræ pars eris hiſtoriæ.

SOTERIA PRO ILLVSTRI AC MAGNIFICO Do. GABRIELE Comite in Ortenburg, uiro lectissimo.

Dij quibus humanæ arbitrium uitæq;, necisq;
Rite datum, casus hominum quos semper acerbos
In melius retulisse iuuat: quibus una potestas
Lanificas prohibere manus, & nigra sororum
Stamina tardare: & queis parent sæpe refixæ
Diræ orci leges, atq; implacabile fatum
Audiuere preces castas, uotisq; bonorum
Non surdæ patuere aures, ualet ecce uigetq;
Integer, ætherea & uegetus nunc uescitur aura
Magnanimus Gabriel longo dignissimus æuo,
Et Pylios superare annos, & sæcula cerui.
Vt quem mente cata nondum grandæuus, & illum
Annorum excellat numero, q̃ pene seuerum
Aeacon, & furui uidisset limina regis
Ante diem, q̃ pene uirum mersisset acerbo
Funere mors uiolenta, atris mors horrida pennis:
Dum miserum affixit lecto deterrimus ardor,
Et quatefacta mali soluerunt membra dolores.
Vdus amicorum lachrymis thorus, humida circum
Strata tepescebant, non uotis nemo pacisci
Et prece sollicitare deos: non irrita uota
Nec uanæ mouere preces pia numina diuum.
Namq; recuratum q̃ mox præsentibus illum
Vidimus auxilijs superum, studioq; medentum

Assiduo, & Clarij diuina numinis arte.
Soluite dijs nunc uota pij, & cumulate sacratas
Promissis dudum donis, & honoribus aras.
Et uos o quicunqꝫ boni sacriqꝫ poëtæ
Carmina uotiua suspendite uestra tabella:
Hic etenim uestri cultor gregis expetit unus
Ocia Pyerijs altissima reddere musis.
Hic pacis belliqꝫ probe consultus, & auspex
Publica sustinuit persæpe negotia solus.
Et regis non pauca suo discrimine obiuit:
Magnanimi custos iuuenis, sociusqꝫ laborum.
Et nunc digna cani longe, & maiora peractis
Hic geret, hos etenim seruatum nuper ad usus
Credimus, & dias redijsse in luminis auras.
Iam prope quum exanimem, & pallētes spūs artus
Deficeret, redijt subito uis integra membris,
Viuidus atqꝫ artus uigor est diffusus in omnes.
Ceu quōdam Thesidæ animam reuocauit ab umbris
Phœbigena, ille iterum superas euasit ad auras.
Quiqꝫ erat Hyppolitus cœpit tum Virbius esse,
Virbius intactæ tum maxima cura Dianæ.
Dijs igitur grates merito persoluimus omnes,
Omnes & longum Gabrieli exposcimus æuum.
Viuat & incolumem se in publica commoda seruet,
Regis & ipse suis leuet usqꝫ negotia curis.

Viennæ Austriæ per Hieronymū Vietorē Impressū.



Miscellanea